

Q. D. B. V.

THESISVM
PHYSICARVM
DECADES DVAE

QVAS
CONSENTIENTE AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
ORDINE

PRÆSIDE

D. MART. GOTTHELFF
LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORDIN. MEDIC. EXTRA-ORDIN.
EIVSDEMQUE FACVLT. ASSESS. NEC NON SERENISS.

DVC. SAXO - VINAR. PHYSICO PROVINCIALI
ET ORDINIS SVI H. T. DECANO
IN AVDITORIO MAIORI

A. O. R. MDCC XXIII. DIE XXVII. OCTOBR.

PVBLICE DEFENDET

A. ET R.

M. SAM. CHRISTIANVS HOLLMANN

VITEMBERGAE, EX TYPOGRAPHIA VIDVAE GERDESIAE.

Philos.

B.

214, 14

an. Met. Tage. XXV. 2.

THESE

PHYSICARVM

DECADES

CONSTITUTAE

PHILOSOPHORVM

ACADEMIAE

ORDINE

1785

D. MANN. GOTTHELF

ESSCHERO

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE



MANN. GOTTHELF

PHILOSOPHIAE



THES. I.



e anima multa quidem jam scripta & disputata sunt, nunquam tamen satis de eadem scribi & disputari potest, tum, quoniam illa id est, quod in nobis est præcipuum; tum etiam, quod, licet omnis sapientiæ humanæ magistra sit, informatione tamen adhuc in sua ipsius addiscenda Essentia & facultatibus, aliisque, opus habere videtur.

THES. II.

Multi enim ita de anima humana loquuntur & differunt, tanquam illam inter ea referrent, quæ, juxta *SOCRATEM*, supra nos, & nihil ad nos: aut tanquam anima non ipse homo, sed aliquid tertium esset, ab homine ipso distinctum longe, imo & remotum: Cum tamen bene sapienterque in Somnio Scipionis *CICERO* doceat: *MENS CUIUSQUE, IS EST QVISQUE; NON EA FIGVRA, QVAE DIGITO MONSTRARI POTEST.*

THES. III.

Corpus tamen propterea non carcer animæ, cum *PLATONE*, appellandum est, sed est altera essentialis hominis pars, integrum cum anima constituens hominem.

THES. IV.

Unica quidem anima corpori modo opus est, præter unam etiam adscribere plures homini non possumus; Num vero omnes animæ humanæ numero saltem, an vero gradu, aut specie quasi, simul differant, id vero non æque videtur esse apertum.

THES. V.

Nova est celeberrimi cujusdam Viri, nuper admodum in scenam producta sententia, qua animas humanas non unius ejusdemque generis esse, sed gradibus inter se differre, aliasque aliis, nunc *agiliores*, nunc *tardiores* esse, statuit; Propterea tamen, quod nova est, non esset omnino improbanda, dum solidis modo superstructa esset fundamentis.

THES. VI.

Equidem, quoad non repugnat, Deum spiritus condere potuisse, *non numero tantum, sed & natura plures distinctosque*, quod recte adversus CARTESIVM & Mechanismi Patronos omnes adstruit B. DN. AB ELSWICH in *recentioribus de anima Controversiis* §. II. p. II. non repugnat etiam animas natura aut gradu, vel si mavis, quasi specie diversas, a DEO potuisse creari: Creatæ autem num ipso actu sint, alia est quæstio.

THES. VII.

Prius enim negare non possumus, tum, quoniam DEI infiniti potentiam, finiti intellectus homines, certis circumscribere limitibus, nisi in quibus ipsa objecti natura, manifestam involvens contradictionem, id facit, non possumus; tum etiam, quod certas Spirituum classes,

classes, præter quas aliæ existere nequeant, determina-
re nunquam valemus: Posterius tamen ut asseramus,
nondum sufficientes videntur adesse rationes.

THES. VIII.

Sententia enim illa huc redit. Constituuntur
tres imprimis gradus, quibus animæ inter sese differre
dicuntur. INFIMVS tribuitur animabus *humilibus &*
tardioribus, quæ de corporis & posteritatis Conserva-
tione sollicitæ tantummodo sint, adeoque res alias
modo *habere* cupiant: Atque hæ temperamento ME-
LANCHOLICO respondent. MEDIUM gradum *agilio-*
res atque *letiores* occupant animæ, quæ demulcere so-
lum corpus, aliisque hominibus & rebus externis *frui*
præoptent: Et hæ SANGVINEO temperamento assi-
milantur. SUMMUM autem gradum *acrioribus & veloci-*
ribus assignat autor animabus, quibus *gloria eminere*,
imo, si res ferat, *sub jugum alios mittere*, aut saltem *insui*
admirationem rapere, curæ sit: Et hæ CHOLERICO re-
spondent temperamento.

THES. IX.

Sed non opus est, ad explicandum illud, quod
inter homines, intuitu propensionum, intercedit
discrimen, ad gradualem ejusmodi recurrere ani-
marum differentiam, cum eadem facilitate hæc omnia,
ex recepta de Temperamentis doctrina, explicari pos-
sint.

THES. X.

Hoc modo hic supponendum est, (supponitur ve-
ro, quoniam ipsa sana ratio svadet,) animas hominum
non concipiendas esse instar statuæ mercurialis,

omnibus omnino propensionibus solutæ; sed in ipsis hominum animabus jam adesse propensiones ad triplex bonorum genus, HONESTVM nempe, IVCVNDVM & VTILE, in iisdemque, ad unam omnibus, radicaliter esse fundatas.

THES. XI.

Quælibet itaque Animarum humanarum, naturali propensione, in hoc triplex bonorum genus fertur, nihilo tamen secius hæc propensio pro temperamentorum varietate etiam variat.

THES. XII.

Propter intimam quippe cum corpore communionem ab hujus dependet constitutione, quod anima ad alteram harum propensionum, præ altera, magis excitatur, adeoque ad alterum horum bonorum etiam, præ altero, magis allicitur.

THES. XIII.

Competere vero corpori, hujusque humorum temperamento, quandam in ipsas animas efficaciam, manifesto illorum exemplis patet, qui, licet temperamenti alias sanguinei sint, humoribus tamen corruptis, ad delirium Melancholicum ita possunt abripi, ut nil, nisi tristitia, loquatur fingatque sibi anima: restituta autem, Medicorum ope, humorum integritate, suo simul restituuntur animo, hilaresque denuo, & cogitationes, & operationes edunt.

THES. XIV.

Temperamentum itaque non primum in homines propensiones ipsas inducit, sed has solum-

lummodo variis modis determinat, impellit, promovet, quin & ad hoc magis, quam aliud bonorum genus eligendum, animam invitat.

THES. XV.

Probabilis quidem est ratio, quæ pro adversa sententia militat, quod scilicet propensionum in hominibus diversitas ab eo rectius, quod in homine est agens, quam quod est patiens, derivetur, adeoque in anima ipsa rectius, quam in sanguinis & reliquorum humorum temperamento quærat: Sed enim vero ex dictis facile patet, quid regei adhæc possit.

THES. XVI.

Pendent nempe utique ipsæ propensiones ab eo, quod in homine est agens, ipsaque adeo anima; a diversa tamen corporis, quod anima inhabitat, constitutione, propter intimam utriusque Unionem & *πρόσχωρσιν*, est, quod in hoc magis, quam illud, propensio animæ fertur. Verbo: Animæ utique, tanquam principio agenti, ipsæ veniunt adscribendæ propensiones, a corporis tamen, ejusque humorum, diversitate provenit, quod magis has, quam illas, eadem sequitur & prodit.

THES. XVII.

Sententiam adversam hæc imprimis videtur premere difficultas, quod, si ratio differentiæ hominum est aliquid ipsis animabus insiti, non facile temperamenta vel propensiones animi mutari possint, nisi ipsius animæ natura veluti immutetur: quod tamen, qui fieri possit, non facile explicari potest.

THES.

THES. XVIII.

Et tamen temperamenta hominum, pro ætatis inprimis, aliarumque circumstantiarum ratione, revera mutari, quotidiana Experientia omnium solidissime docet.

THES. XIX.

Quanquam ergo nonnulla forsan in contrarium, adversus receptam de temperamentis doctrinam, afferri adhuc possint, nulla tamen videtur subesse, quæ tanta sit, necessitas, cur temere eandem deseramus, novæque *Viri Celeberr.* subscribamus.

THES. XX.

Notatu adhuc dignum est, quod externa vultus, totiusque corporis, dispositio, ut plurimum internam animi faciem in hominibus prodat. Observavit illud ex parte, suo jam tempore, ANDRONICVS RHODIVS, qui in *Paraphr. ad L. 4. Eth. Arist.* scribit: *Sicut corpora distinguunt sui motus; - - - ita ex iis, qui extra sunt, & qui in oculos incurrunt, hominum motibus, habitus quoque apparent animi & mores.* vid. DANIEL HEINSIVS in *Dissertat. ad Horatianum de Plauto & Terentio iudicium*, Heinsianæ Terentii Editioni præmissa, p. 4. Ex vultu enim, ut plurimum, haud difficulter colligitur, qualis sit interna animi indoles, quanquam rationem sufficientem reddi posse desperem, qui fiat, ut internam animi faciem, externa corporis, reddere queat.

Brevibus hæc omnia, temporis lucrandi causa, complexus sum thesibus. Digna tamen sunt, quæ pluribus evolvantur. Quodsi tempus itaque & occasio olim suppetent, uberiores horum deductionem L. B. a nobis expectet.

T A N T V M.